

suae diocesis, dummodo pariter idonei sint, ac praestito ab eis prius juramento missionibus diocesis ejusdem perpetuo inserviendi.

3^o Dispensandi cum fidelibus suae jurisdictioni subiectis tam catholice natis quam ad fidem catholicam conversis pro quinquaginta casibus tantum super primo affinitatis gradu ex copula illicita super lineam collateralem sive rectam resultantis, dummodo nullum subsit dubium, quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium nata, in matrimoniis ignoranter, vel scienter quoque contractis, sicuti etiam in contrahendis, ubi rationabilis et legitime causa concurrat, in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, impositis pro modo culpae poenitentiis privatis salutaribus.

4^o Dispensandi cum catholicis memoratis pro quinquaginta casibus tantum super primo affinitatis gradu ex copula illicita tam in linea transversali, quam in linea recta proveniente, dummodo constet, neutrum ex contrahentibus esse alterius filium, in matrimoniis ignoranter vel scienter quoque contractis, sicuti etiam in contrahendis etiam publicis, et in utroque foro, impositis pro modo culpae poenitentiis salutaribus.

5^o Dispensandi cum catholicis praedictis super secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu in linea collaterali aequali pro casibus tantum urgentibus, in quibus ob imminens scandali periculum desit tempus recurrendi ad S. Sedem, gravata super hoc episcopi conscientia, et injuncta lege ut in petenda hujus facultatis renovatione numerum dispensationum concessarum exhibere debeat.

6^o Dispensandi intra fines suae dioeceseos conjugem fidelem super interpellatione conjugis in infidelitate relictum, dummodo adhibitis antea omnibus diligentibus per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi conjux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extrajudicialiter